



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positus, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1675**

Titulus. VII. De Juramento calumniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

## T I T V L V S V I I.

## DE IURAMENTO CALUMNIÆ.

Quia regulariter, post litis contestationem, immediatè præstatum Juramentum calumniæ, ideo duobus præcedentibus Titulis subiungitur hic Titulus, qui inscribitur de Juramento calumniæ, scilicet vitandæ: quo sensu etiam accipitur illud S. Pauli 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat, propter fornicationem*, scilicet evitandam, non committendam; ut notavit Abb. ad Rubr. h. t. Idem Titulus extat etiam in Sexto.

## §. I.

*Quid sit Juramentum calumniæ, & quid continere debeat, & quomodo differat à Juramento veritatis, vel malitiæ, & an sit necessarium præstandum?*

## I.

**A**SSERTIO I. Juramentum calumniæ fit, cum actor jurat, non calumniandi animo litem se movere, sed existimando, bonam causam se habere; & vicissim reus jurat, quod putet, se bonâ instantiâ uti ad reluctandum, id est, resistere actori, existimando, se jus habere. Ita habetur in l. 2. in princ. C. de iur. jur. propr. calumn. præstan. Quare juramentum calumniæ est illud, quo partes litigantes jurant, quod in Judicio, tam agendo, quàm excipiendo, & defendendo, absque fraude, & calumniâ versari, omniâque bonâ fide peragere velint: sive juramentum credulitatis, quod litigantes præstant de conscientia, & bonitate causæ, quam se habere putant. Porro calumniari in criminalibus nihil aliud est, quàm falsâ crimina intentare, l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpil. in civilibus verò est, per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare: unde calumniatores appellati sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios litibus vexant, l. Si calumniator; 233. in princ. ff. de V. S.

II. Assertio 2. Juramentum calumniæ plura Capitula continet, ut tradit Gl. in c. 1. V. Calumniæ juramentum; h. t. Durand. in specul. l. 2. part. 2. tit. de iur. calum. §. 4. Maranta de ordin. judic. p. 6. tit. de iuram. num. 10. Primò enim uterque, tam actor, quàm reus jurare debet, quod credat, se justam causam habere, & fovere, l. 2. in princ. C. h. t. Secundò, quod in Judicio interrogatus veritatem respondebit super omnibus. Tertio, quod non utetur falsâ probatione, nec ab Adversario suo exigit ullam probationem superfluum, & quam non existimaverit pro veritate necessariam. Auth. In isto juramento; C. 6. t. Quarto, quod nihil penitus, patrocinii causa, Judicibus, vel alii personæ pro causa dederit, aut

Tomus II.

promiserit, vel daturus sit per se, vel per alios, præterquam advocatis salaria, ceterisque personis, quibus à Jure dari permittitur, Auth. Principales; C. eodem. Quintò, quod calumniosam dilationem non petat, animo scilicet causam protrahendi, seu differendi Judicii causâ; l. 1. C. Eodem; quæ requisitâ Gl. in cit. c. 1. h. t. V. tit. His versibus comprehendit.

*Alud juretur, quod lit sibi justa videtur:  
Et si quæretur, verum non insciatur.  
Nil promittatur, ne falsa probatio detur.  
Ut lit tardetur, dilatio nulla petetur.*

III. Assertio 3. Juramentum calumniæ à juramento de veritate dicenda differt Primò, ut tradit Durand. cit. loc. §. 1. n. 12. & duob. seqq. & Hiltrop. in process. judic. p. 3. tit. 3. quia illud præstatum in causis civilibus, & pecuniariis: juramentum veritatis in spiritualibus, & eis annexis: vel etiam in criminalibus ab accusatore jurante, accusationem suam veram esse: reus autem jurat de veritate dicenda, Hiltrop. c. l. num. 3. Secundò, Juramentum de calumnia, est juramentum credulitatis, quo quis jurat, se credere, quod bonam causam habeat: alterum est juramentum de scientia, & veritate, quam quis scit, dicenda: Tertio, Illud continet multa capitula, ut dictum; istud unum solum, videlicet de veritate dicenda, Plures differentiæ videri possunt apud Durand. c. l. ubi 7. adfert.

Porro, quod dictum est, juramentum de veritate dicenda cadere super scientiam; juramentum verò calumniæ super credulitatem, id in praxi, & de consuetudine non servatur, secundum quam sufficit jurare veritatem, sive eam sciat, sive solum credat; ut notavit Abb. in cit. c. 2. num. 12. h. t. nam, eum tam actor, quàm reus, non de omnibus articulis habere possit exactam notitiam, sed sæpe probabilem opinionem tantum, seu credulitatem: ideo, si pars litigans in Judicio dicat: credo, ita esse: veritatem dicit; si credit, ita esse: falsitatem verò, si non credit: quare consultum est, ut Judex exigat ab actore, vel reo, ut juret, se dicturum, quæ vera esse scit; vel, quæ credit esse vera, ita, ut exigatur juramentum calumniæ, prout etiam comprehendit in se juramentum de dicenda veritate.

IV. Differt quoque juramentum calumniæ à juramento malitiæ, quod fit, quoties est præsumptio

prio contra partem litigantem, quod malitiosè proponat exceptionem, vel petat dilationem &c. Et hoc præstatur ante, & post litem contestatam; juramentum calumniæ verò tantum post illam, de quo infra. Secundo, hoc regulariter semel duntaxat in tota causa præstatur: illud, verò quoties aliquid malitiosè dici, vel fieri præsumitur. Tertio, prius locum tantum habet, saltem spectato Iure antiquo, in causis profanis, & civilibus: posterius etiam in Ecclesiasticis, & spiritualibus. Quarto, per prius caveatur, ne quid calumniosè fiat, vel exigatur in toto negotio, seu lite. *Auth. Hoc Sacramentum; C. h. t. per juramentum de malitia verò providetur, ne à parte suspecta malitiosè aliquid proponatur, vel præstatur, Durand. cit. loc. §. 1. n. 9.*

Plura exempla, seu casus, in quibus præstandum est juramentum de malitia, extant passim in Iure Canonico. Veluti primò in *c. Cum dilectus; 32. supr. de elect.* ubi præcipitur, ut ab eis, qui opponunt contra electionem Episcopi iam confirmatam à Metropolitano, exigatur juramentum de malitia, id est, quod non malitiosè litem Episcopo moveant. Aliud exemplum habetur in *c. Literas; 13. §. Propereas; de restit. spol.* ubi, dum quis uxori petenti restitutionem obiicit gradum consanguinitatis divinâ lege prohibitum, imponitur juramentum, quod talis oppositio malitiosè non fiat. Item in *c. Præsentium; 31. de restit. ubi is, qui post publicationem attestatorum, excipit contra personas testium, cum antè non esset protestatus, quod suo loco, & tempore excipere vellet, non auditur, nisi prius intaverit, quod malitiosè hoc non faciat, vel probet, se primum, post publicationem, de testium qualitatibus informatum fuisse. Et in *c. 2. eod. in 6. in fine.* ubi testes reprobatorios volentes iterum reprobare, debent prius jurare, quod hoc ex malitia non procedat. Aliud item exemplum habetur in *c. Pastoralis; 4. de except.* ubi, qui post terminum assignatum ad dilatorias exceptiones proponendas, eas opponere petit, non admittitur, nisi juret eiusmodi exceptiones, post terminum, ad suam notitiam pervenisse, *Durand. c. l. n. 6.**

V. Assertio 4. Juramentum calumniæ, si ab alterutra parte litigantium exactum fuerit, necessariò præstari debet, ita, ut hoc casu pertineat ad substantiam Iudicii, & omisum vitiet totum processum, & sententiam latam reddat nullam; ut colligitur *ex l. 2. §. Sed quia veremur; C. h. t. Gail. l. 1. obs. 88. n. 1. Francus. in c. 1. n. 4. h. t. in 6.* ubi ait, quod callidi procuratores de industria à principio petunt præstari juramentum calumniæ; sed non multum urgeant, ut in fine judicium processum, propter juramentum petitum non præstitum, nullitatis arguere possint. Secus est, si juramentum exactum non fuerit; tunc enim processus iudicii valet; ut constat *ex c. 1. §. Propter; h. t. in 6.* ubi statuitur, „propter omisum quoque tacitè (quia petitum non fuit, adeoque tacitè remissum) in tota causa (non tantum in principio cause *Gl. hic V. eod.*) calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs legitimè factus (nempe libello oblato, lite contestatâ) non est nullus, nec etiam annullandus. Quare, licet juramentum calumniæ, aut de veritate dicenda, non possint partes remittere per pa-

ctum expressum; ut indicatur *in cit. c. 1. §. Propter iuncta Gl. V. Tacitè; & habetur in cit. l. 2. §. Sed quia C. h. t. & ibi Gl. V. Remitti:* tum quia hoc juramentum introductum est, ob bonum publicum; ut fraudes evitentur in iudiciis, & ne veritas occultetur: ideoque pactis privatorum tolli, & remitti nequit: tum quia per tale pactum expressum videtur concedi facultas calumniandi; ideoque tanquam peccandi occasionem præbens, seu turpitudinem continens jure reprobatur: possunt tamen partes hoc juramentum tacitè remittere, seu non exigendo; quia per hoc quod tacitè prætereatur, calumniis via non aperitur, nec facultas calumniandi concessa videri potest.

VI. Sed neque per consuetudinem introducti potest; ut partes de calumnia vitanda non intrent, sive expressè remittere possint juramentum calumniæ, illudque reculare, etiam si à Iudice ad instantiam alterius partis, vel ex officio Iudicis hoc juramentum exigatur; prout sumitur *ex c. Ceterum; 5. h. t.* ubi Lucius III. mandat, ut etiam in causis, quæ inter ipsos Clericos vertuntur, ad veritatem eliciendam, ab utraque parte (principaliter scilicet, auctore, & reo) appellatione cessante, præstetur juramentum calumniæ; non obstante consuetudine, quippe quæ legi contraria est. Vbi, quamvis expressè, & specialiter tantum sermo sit de Clerico in eorum causis propriis, tamen textus generaliter loquitur, nempe, quod ab utraque parte litigante debeat præstari juramentum calumniæ, non obstante contrariâ consuetudine; ut *notas Gl. ibid. in princ. V. Ceterum;* & ratio quoque expressa in textu generalis est, & communis Clericis, & laicis, videlicet ad eliciendam veritatem, siue ne occasione talis consuetudinis veritas occultetur, & via calumniis aperiantur, & ne fraudes committantur: ideoque talis consuetudo tanquam irrationabilis, & bonis moribus repugnans, juri scripto siue legi, quæ induxit tale juramentum, præiudicare, vel eam tollere non potest, *Abb. hic n. 3. & 9.* Idem habetur etiam in *c. Constitutus; 3. de fideiussor.* ubi idem Papa Lucius III. similiter mandat, reum negantem debitum, non obstante consuetudine, quæ est legi contraria, cogendum esse ad juramentum calumniæ subeundum: ubi *Abb. n. 4.* ait: Non valet consuetudo, ut omittatur juramentum calumniæ.

VII. Notandum hinc præterea primò. Non valet etiam consuetudo, ut juramentum calumniæ differatur usque ad sententiam, & in fine primum juret: quia per hoc daretur occasio peierandi; facile enim, qui frustratorias dilaciones petit, vel fallum respondit in iudicio, postea falsè jurabit, dicendo, se vera respondisse, ne prius: nunquam autem est exigendum juramentum, quando verissimiliter timetur, vel periculum est de violatione illius, *Abb. hic n. 4.* Veruntamen potest per consuetudinem introduci, ut non juret de calumnia, si partes non exigant; adeò, ut neque Iudex ordinariè hoc juramentum deferre, & exigere teneatur. *Arg. c. 1. §. Propter; h. t. in 6.* Item, si non soleat jurari de calumnia, ob hominum alicuius loci probitatem, & fidelitatem; ideoque sufficere videatur simplex promissio non calumniandi, cum juramento de veritate dicenda, præsertim in causis non arduis; tunc cessat ratio, ob quam in-

dictum est juramentum calumniæ: vel etiam, si hoc juramentum non præstetur ad evitanda perjuria, quia periculum est, ne partes pejerent: tum etiam per consuetudinem, maxime immemorabilem, lex de juramento calumniæ abrogari potest, *Abb. hic num. 9. & Guil. l. 1. obs. 85. n. 4. & 5.* Nam lex non debet dare occasionem perjurii, sed potius prohibere juramentum, quando subest periculum perjurii: ideòque in l. 2. §. *Quorum*; C. de indicta viduit. &c. abrogatur juramentum mulierum ab ipsis præstari solitum de non transeundo ad secundas nuptias; quia sæpe illud violare consueverunt.

Notandum secundò. Per rescriptum supremi Principis potest decerni, ut non præstetur juramentum calumniæ à partibus; cum sit introductum Jure positivo, cui Princeps derogare potest, dummodo in eo dicatur: non obstante tali lege: non autem inferior Principe, ne quidem Legatus illius, potest remittere hoc juramentum; quia non potest tollere, quæ ad substantiam judicii pertinent, *Abb. hic n. ult. Guil. c. l. n. ult.*

Notandum tertio. Pars litigans tenetur jurare de calumnia, non obstante appellatio: quam in causa fecit; ut constat ex hoc c. ibi, *appellat. me cessans*; nisi allegaret justam causam, ob quam jurare non tenetur, quia videtur solum inhibita appellatio frustratoria; non autem, quæ interponitur ex justa causa, *Abb. hic n. 2.*

## S. II.

## Quam præstare debeant Juramentum calumniæ, vel non?

VIII. Assertio 1. Regulariter ipsæ personæ principales in Judicio litigantes juramentum calumniæ præstare debent, non tantum actor, sed etiam reus; prius autem ille, quia ad litem provocavit; prout habetur in l. 2. in princ. & ibi *Gl. V. Et actor*; & *Auth. Principales*; C. de Jurjur. propter calum. &c. *Hofstiens. in summa h. t. num. 2.* Quare cum in §. 1. *Instit. de pæn. rem. litig.* primò dicitur, quòd reus debeat jurare de calumnia; & postea in §. *Item actoris*; quòd actor: non ponitur ibi ordo juramentum, sed potius personæ, quæ jurare debent, demorantur, *Hofstiens. c. l. vel reus jurat prius, scilicet, quam audiatur in processu causæ, non autem prius, quam actor, Gl. in cit. l. 2. V. Et actor.* Similiter in duplicibus Judiciis; ut, quando agitur de dividenda hereditate, vel alia re communi, inter coheredes, vel socios, quilibet jurat ut actor, & ut reus, sed is prior, qui provocavit, *Gl. in cit. l. 2. V. Et actor.* Debent autem partes principales jurare de calumnia, tam actor, quam reus, non solum, si per se, & personam agant in Judicio; sed etiam, si per procuratores agant, etsi ipsi sint litem contestati, *cit. l. 2. §. Sin autem*; nisi procurator mandatum habeat ad jurandum de calumnia; ut infra dicitur, *Hiltrop. p. 2. tit. 2. §. Qui jurent; n. 1.*

IX. Porro assertio tradita extenditur primò, ut non solum ipsæ personæ principales, actor, & reus, sed etiam eorum heredes jurare debeant de calumnia, in quos instantia transit, *cit. Auth. Prin-*

*cipales; junctà Gl. V. Migraverit*: etiam si defunctus hoc juramentum præstiterit; quia potuit defunctus habere bonam fidem, & heres, vel successor malam: & quia juramentum non transit de persona in personam, ideo novari debet, seu iterari ab herede, *Gl. in cap. 2. §. Procuratores; V. Inramentum; junct. Gl. marg. lit. a. h. t. in 6.* Nec refert, quòd heres, vel successor eadem persona cum defuncto censetur: nam hæc ratio quoad juramentum non procedit; cum defunctus, eiusque heres in rei veritate sint duæ personæ: adeòque juramentum, cum personam non transgrediat, ad heredem non transit, *Gl. marg. l. c.*

X. Extenditur secundò ad Clericos, qui, si coram Iudice suo Ecclesiastico litigent, compellendi sunt ad juramentum calumniæ utrinque præstandum, non obstante contrariâ consuetudine, c. *Ceterum*; §. *h. t. de quo supra num. 6.* Quod tamen *Gl. ibid. V. Ab utraque parte*; & alij DD. communiter intelligunt, si Clerici in propriis causis agant, & conveniantur in Judicio: tunc enim jurare debent de calumnia per se ipsos, quia in causis propriis censentur melius informati esse, *Vivian. in ration. in cit. c. 1. h. t.* Si verò agatur de causa Ecclesiæ, non quidem possunt Clerici cogi, ut per se ipsos, & personaliter jurent, nec etiam debent, sine Superioris sui licentia: possunt tamen juramentum calumniæ alteri committere, si id Ecclesiæ expediat; prout Canonistæ communiter id colligunt ex c. *Inherentes*; 1. *h. t.* Nam, cum quæstio orta esset, utrum Clerici in Judicio jurare debeant, aut aliis hoc officium delegare, Papa Honorius II. ait, illam tanquam unam ex gravioribus causis ab ipso Pontifice esse decidendam. Equidem ex una parte in Cæsareis legibus (l. *Cum Clericis*; 2. §. 1. *Verf. Quòd si lis*; C. de *Episc. & Cleric.*) cautum est, ut nullus Clericus jurare præsumat. Contra verò alibi (in *Auth. Principales*; C. *h. t.*) statutum reperitur, ut principales personæ in exordio litis juramentum calumniæ præstent. Quare quibusdam visum est, Marciani edictum, quo prohibentur Clerici jurare, speciale fuisse, quia solum de Constantinopolitani Clericis latum, & promulgatum fuit, ideòque ad alios Clericos non pertinere. Sed Honorius II. ait, Henricum Imperatorem rectè interpretatum fuisse, dictum decretum Marciani generaliter ad omnes Clericos pertinere, quam interpretationem ipse quoque Papa suâ auctoritate confirmat: nam, cum Justinianus Imperator dixerit (in *Auth. de Eccles. tit. in princ. §. Sancimus*; *collat. 9. ubi Gl. ait: Canones pro legibus observandos esse*) quòd Canones vim legum obtinere oporteat; at verò SS. Canonibus statutum sit (c. *In novo*; 3. *caus. 22. q. 1. c. Etsi Christus*; 26. *de Jurjur. c. pen. caus. 22. q. 5.*) quòd Clerici omnino jurare non debeant: hinc sequitur, quòd totus Ordo Clericalis à juramento calumniæ præstando sit immunis. Tenor autem Constitutionis Imp. Henrici est iste: Decernimus, & imperiali auctoritate definimus: ut non Episcopus, non Presbyter, non cujuscunque Ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis, in qualunque causa, seu controversia criminali, vel civili, jusjurandum præstare compellatur, sed aliis idoneis defensoribus (id est, Syndicis, actoribus, vel

» procuratoribus, *Gl. hic V. Eodem* (si Ecclesia sua ex-  
» pedire judicaverint, huiusmodi officium jurandi de-  
» legare liceat. Verum cum hac moderatione, quod  
» Episcopus, in consulto Rom. Pontifice, sive sine eius  
» consensu; alij verò Clerici, sine licentia Prælati sui  
» jurare non possunt. Additur in fine: Et, quicumque  
» contra hanc Constitutionem egerint, veniam non  
» impetrabunt, sive impudè non ferent.

XI. Pro explicatione huius c. Notandum primò. Si Clerici coram Iudice suo, seu proprio Ecclesiastico litigent; tum certum est, quod exigente Superiore suo, juramentum calumniæ præstare debeant; ut constat *ex c. Ceterum; 5. h. t.* Sin verò agant, vel defendant se Clerici coram Prælato non suo, sive Iudice Ecclesiastico alieno, non possunt jurare de calumnia, sine speciali licentia sui Episcopi, seu Ordinarij; ut colligitur *ex c. 1. h. t.* ubi generaliter dicitur, quod Clericus, in consulto Prælato suo, minime audeat jurare; quia non potest in Iudicem non suum consentire, *Gl. fin. hic.* & requiritur licentia Superioris, propter majorem reverentiam juramenti, & ne ita facile Clericus pejeret, *Abb. hic n. 20.* Multò magis verò non debent Clerici juramentum calumniæ personaliter præstare, coram Iudice seculari, sine licentia Episcopi, vel Prælati Ecclesiastici, sive sint actores, sive Rei, *c. Nullus; 22. junct. Gl. V. Laico; caus. 22. q. 5.* imò quidam generaliter dicunt, ubicunque in iure reperitur Clericis prohiberi jurare, id intelligendum esse de juramento in foro, seu coram Iudice seculari; in quo nec jurare de calumnia possunt Clerici, sine licentia proprii Episcopi. *Innoc. in c. 1. num. 1. h. t. Silvest. in summ. V. Juramentum; 2. q. 3.* Ratio est, quia juramentum iudiciale est coactivum, & necessarium, quod à Iudice partibus litigantibus imponitur: non est autem decens, ut Iudex laicus talem potestatem exerceat in Clericos, sine licentia Episcopi, seu Prælati Ecclesiastici. In contractibus verò à Clericis cum laico initis, possunt jurare, etiam sine auctoritate, & consensu Episcopi: quia hoc juramentum est voluntarium, sive liberà voluntate contrahentium suscipitur. *Innocent. in cit. c. 1. num. 2. h. t.* Quòd si Clerici in Iudicio coram Iudice non suo, Ecclesiastico, vel etiam seculari jurent, absque licentia suorum Prælatorum, non ideo vitatur processus, seu Iudicium redditur nullum, *Gl. hic. & Abb. n. 17. Barb. in collect. ibid. n. 8.*

Notandum secundò. Si agatur in Iudicio de causa Ecclesiæ, non cogitur ipse Clericus, v. g. Abbas, vel alius Prælati jurare de calumnia personaliter; sed sufficit, si Syndicus, aut procurator generaliter constitutus ad causas Ecclesiæ juramentum calumniæ præstet, *c. Imperatorem; 4. & c. ult. h. t.* & colligitur *ex c. 1. ibi: Si expedire Ecclesiæ suæ, noverit, eod.* Si verò agatur de causa propria ipsius Clerici; tum etiam Clericus potest, & debet jurare, ita tamen, ut non necessariò personaliter edere debeat juramentum calumniæ; sed potest constituere procuratorem speciale mandatam habentem jurandi in animam domini constituentis, *c. ult. h. t.* de quo mox plura. Quin imò magis decens est, ut Clericus non per se ipsum, sed per alium, hoc juramentum præstet coram Iudice seculari.

Notandum tertio. Quod hic dictum est de Cle-

ricis, etiam obtinet in Religiosis: quia nomine Clericorum in materia favorabili comprehenduntur etiam Religiosi; ut colligitur *ex cit. c. h. t.* ubi Henricus Imperator, & post eum Honorius II. Constitutionem Marciani, quòd Clerici non debeant in Iudicio compelli ad jurandum, interpretatur etiam de Religiosis utriusque sexus; ut notat *Abb. hic n. 9.*

XII. Extenditur tertio supra dicta assertio, quòd etiam Episcopus, si per se litiget, debet personaliter jurare de calumnia; ut habetur statutum in *c. Cum in causa; 7. & ult. in princ. h. t.* Nam, cum causa, aut controversia pecuniaria (seu civilis, & temporalis, sive propria, sive Ecclesiæ, *Gl. hic in princ.*) vertetur inter Episcopum Belvacensem, & Rabanum, quæsitum fuit ex Papa Gregorio IX. utrum ipse etiam Episcopus juramentum calumniæ in Iudicio præstare debeat? Respondit Papa, si per se ipsum litigare velit in Iudicio, quòd hoc juramentum præstare debeat (sicut in ferendo testimonio jurare tenetur) non tactis, sed propositis tantum Evangelii. Sin verò non per se, sed per Syndicum, vel actorem litigare maluerit; satis erit per illum præstari juramentum calumniæ.

XIII. Ubi notandum primò, Si Episcopus per se ipsum velit litigare in Iudicio, debet etiam personaliter juramentum calumniæ edere: quia hoc est accessorium ad litem prosecutionem; cum sine illo, si fuerit à parte petitum, non possit causa expediri. Nec obstat *c. 1. h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopus non debet jurare, sed alijs officium jurandi delegare. Nam ibi solùm dicitur, quòd non debet compelli ad iurandum subeundum; non quòd jurare non possit. *Gl. hic V. Per te ipsum.*

Notandum secundò. Etsi Episcopus, cum per se litiget in Iudicio, debeat etiam personaliter edere juramentum calumniæ, ut dictum: magis tamen decens, & conveniens est; ut per Syndicum agat in Iudicio, & juret, in causis tum Ecclesiæ, tum propriis civilibus; ut constat *ex c. Quia; 3. caus. 5. q. 3.* idemque ibi statutum de Sacerdotibus; ut per Advocatum, seu Procuratorem agant in *c. Quia.* ubi tamen verbum, *Debet*, non importat necessitatem, sed honestatem tantum, *Abb. in cit. c. ult. num. 4.* sicut etiam Iure civili personæ illustres non per se, sed per procuratorem in Iudicio litigant; ut decernitur in *l. pen. junct. Auth. Hoc jus; C. de procurat.* nam, quia Iudex sedere debet in Iudicio; actor verò, & reus stare; non decet, ut personæ illustres stent, & multò minus Episcopi: ideo magis conveniens est, ut per alium agant in Iudicio, *juxta Auth. Ut ab illustribus; & Sancimus; coll. 9.* In causis verò criminalibus, nisi per se comparere in Iudicio, & personaliter agere, ac respondere debent Episcopi, & Sacerdotes, *cit. c. Quia; & ibi Gl. In casu;* sicut & personæ illustres.

XIV. Notandum tertio. Juramentum calumniæ regulariter præstandum est, tactis Evangelii; Episcopus verò, si per se litiget, jurare debet de calumnia, non tactis, sed propositis tantum Evangelii; ut constat *ex cit. c. ult. Abb. ibid. n. 3.* Idque propter reverentiam dignitatis Episcopalis, *Gl. in cit. c. ult. in not. h. t.* In causis tamen arduis, & gravioribus etiam Episcopi tenentur, tactis Evangelii; jurare, sicut alij jurare solent, *c. Quoties; 9. caus. 1. q. 7. Abb.*

q. 7. Abb. in cit. c. ult. num. 6. h. t. In causis verò ordinariis, & levibus Episcopi, & Presbyteri non tenentur præstare juramentum propriè dictum; sed sufficit, si faciant promissionem per sanctam consecrationem; ut colligitur ex c. Si quis Presbyter; 4. caus. 2. q. 5. ubi dicitur: Presbyteri, vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogentur; quia Sacerdotes levi ex causa jurare non debent. Abb. c. l. quæ fidei interpositio, seu sponso Sacerdotum, vulgò bey ihren geistlichen Eheyen / vnd Wörden / et si juramentum non sit, tamen ab ijs observari debet, non minus, quam ab aliis juramenta sua, Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 3. c. 2. dub. 2. num. 2.

XV. Assertio 2. Præter personas principales, seu partes litigantes, interdum etiam jurare de calumniâ debent Syndici, seu actores generales, sive Oeconomi Ecclesiarum, Collegiorum, seu Universitatum, qui scilicet generaliter constituti ad quaslibet causas, si nomine Ecclesiæ, vel Universitatis in Judicio agant, in animam suam jurant, sine speciali mandato, dummodo causæ, seu negotij notitiam habeant; prout inprimis sumitur ex c. In præfatis; 3. h. t. ubi Papa Eugenius rescribit, & mandat, quòd non passim, seu indifferenter juramentum calumniæ sit præstandum, sed inspectâ qualitate causæ (an sit spiritalis, vel civilis) & principalium personarum (utrùm sint Clerici, vel Religiosi, an seculares) quandoque per principales personas, quandoque per Syndicos, seu Oeconomos, qui causam, seu negotium non ignorent, & in suam animam jurent, illud præstari debet.

Idem statutum habetur in c. Imperatorum; 4. h. t. Nam, cum ab Abbate, & Monachis Clarevallis juramentum calumniæ exigeretur, sicut ab aliis in Judicio litigantibus; eo intellecto, Papa Eugenius respondit, ad hoc faciendum eos cogi non debere: sed, ne propterea, quòd jurare recusent, aliena jura illicitè detinere videantur, & ipsi etiam causâ suâ cadant, si ex parte ipsorum, huiusmodi juramentum præstitum non fuerit: (nam, qui jurare de calumniâ non vult; si est actor, cadit causâ, & reus habetur pro confesso, & condemnatur, Gl. h. c. V. Decidant; de quo infra) ideo Pontifex præcipit, ut dictus Abbas, & Conventus in suo Monasterio Syndicum, seu Oeconomum constituant, qui pro eorum juribus in Judicio agat, & respondeat, seu ea defendat; & si necesse fuerit, juramentum calumniæ præstet. Quòd si hoc ipsi non fecerint, Episcopus Diocæsæsanus idoneum Oeconomum Monasterio constituat.

XVI. Pro declaratione utriusque huius c. Notandum primò. Syndici, seu Oeconomi ad omnes causas Universitatis agendas constituti; item tutores, curatores, & aliæ similes personæ, quæ alienarum rerum generalem administrationem habent, sive à lege, sive à Judice concessam, jurare de calumniâ in propria animam debent, etiam si speciale mandatum ad hoc non acceperint; eorumque juramentum sufficit, neque necesse est, ut ipsa principalis persona hoc calumnetur; ut colligitur ex Auth. Principales; in spec. l. 2. §. Quod observari; C. h. t. & ex communi doct. Durand. in spec. l. 2. partic. 2. §. 3. in princ. c. n. 2. c. 1. Abb. in cit. c. 3. num. 4. h. t. Ratio est, quia hi, qui legitimam, & generalem administrationem habent, justitiam causæ melius scire præsumuntur,

quàm ij, quorum res, & negotia administrant: ergo convenientius est, ut illi de calumniâ jurent: cum hoc juramentum ad credulitatem de justitia causæ directum sit; ut insinuat in cit. §. Quod observari.

XVII. Notandum secundò. Si Syndicus, seu Oeconomus, curator, vel alius administrator generalis causæ qualitatem, & statum satis perspectum non habeat: tunc ad juramentum calumniæ, priusquam in causa instructus sit, admitti non debet, cit. c. 3. ibi: qui causam omnino non nesciant; id est, non ignorent, sed omnia sciant, Hostiens. ibid. V. Non nesciant; Abb. n. 2. Idque, ut anceps vitetur perjurium. Gl. ibid. V. Non nesciant.

Ubi tamen ulterius est distinguendum: nam, si ipsa persona principalis statum causæ, seu controversiæ melius cognitum habere censetur, quàm Syndicus, vel administrator: tum vel merita, seu justitiam causæ melius novit, & principalis jurabit de calumniâ, modò in Judicio per se stare possit; ut, si v. g. Prælati Ecclesiæ litiget in gravi causa, coram Judice Ecclesiastico. Arg. l. ult. & ibi Gl. V. Justiores; C. de procurat. Durand. cit. §. 3. n. 3. Vel ipsa persona principalis, et si ea, quæ sunt juris, seu justitiæ non satis cognoscat; ea tamen, quæ sunt facti, melius scire censetur: & tum, si sint personæ non perfectæ, sed imbecillis discretionis, ut minor, prodigus &c. ad juramentum de veritate facti dicenda super positionibus, & interrogationibus Judicis præstandum admitti possunt, Bart. in cit. l. 2. §. Quod observari; num. 9. Abb. in c. pen. num. 11. h. t. Sed, et si principalis majorem notitiam de justitia causæ habere censetur, quàm Syndicus, vel administrator: si tamen legitimam personam standi in Judicio non habeat, non admitti debet ad jurandum, nisi de veritate, si in facto melius sit informatus; ut v. g. filiusfamilias pubes. Bart. c. l. num. 13. Aliud est, si principalis legitimam personam standi in Judicio habeat; ut minor 25. annis in causis spiritalibus, filiusfamilias in causis castrensibus, vel quasi: tum enim ipsimet per se, vel per procuratorem in animam suam jurare de calumniâ debent, Bart. c. l. n. 16. c. 17.

XVIII. Notandum tertio. Universitas, sive Ecclesiastica; ut Abbas, & Conventus Regularis; sive secularis; ut Senatus alicuius Civitatis, non potest cogi ad præstandum juramentum calumniæ in Judicio; modò habeat Syndicum generaliter constitutum ad causas, sive Ecclesiasticas, sive seculares administrandas, eumque idoneum, & qui in causa sufficienter instructus sit, isque in suam propriam animam de calumniâ juret; ut patet ex c. In præfatis; 3. et c. seq. h. t. Si verò Universitas Oeconomum, seu Syndicum, vel administratorem generalem non habeat: tum, si sit Ecclesiastica, v. g. Monasterium, ipse Prælati, vel etiam major, seu principalior pars Conventus (si causa sit ardua, seu præjudicialis, quam Prælati solus, sine Conventu agere, aut defendere non possit) vel, si sit Communitas secularis, ij, per quos regitur Universitas, vel major pars eorum, v. g. Consul, & Senatores, per se in proprias animas, vel per procuratorem specialem jurare debent de calumniâ; qui jurabit in animas Conventus, vel Senatus, aut majoris, seu principalioris partis eorum; inconveniens

veniens enim esset, & nimis difficile omnes, & singulos de Universitate jurare, *Gl. in cit. l. 2. §. Hoc etiam; V. Vel à plurima; C. h. t. Abb. in cit. c. Imperatorum; num. 5. h. t.* Adque instar cuiusdam specialis privilegij concessum est Universitatibus, præsertim Clericorum; ut non personaliter singuli, vel etiam maior pars Universitatis, vel Collegij jurare debeant; sed sufficiat juramentum à Syndico, vel actore generali in Judicio præstitum. *Gl. in cit. c. Imperatorum; V. Cogere.* Unde Prælati, præsertim Regulares, compelli possunt ad constituendum Syndicum pro litibus forensibus, si facultates suppetant, *juxta c. unic. supra; de Syndic.* Debet autem generalis Oeconomus, seu Administrator alicuius Ecclesiæ constitui, interveniente auctoritate Episcopi, per quem reguntur omnes Ecclesiæ ipsi subjæctæ; ut notat *Abb. in cit. c. 4. num. 7. h. tit.*

XIX. Ceterum, quod dictum est, Procuratorem, seu Syndicum Universitatis Ecclesiasticæ, vel secularis posse jurare de calumnia, habetur quoque statutum in *c. Cum causam; 6. h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Archiepiscopum Ravennatensem, & Civitatem Faventinam super villa quadam, Innocentius III. quibusdam Judicibus illam delegavit; qui cum in negotio tardius procederent, causam ab illis avocavit, mandans partibus litigantibus, ut apud Sedem Apostolicam se sisterent. Cum igitur procuratores utriusque partis, cum mandatis de rato, coram Papa comparerent, præcepit Papa petitionem Archiepiscopi per procuratorem eius exhiberi, & ad eam partem alteram respondere: & factis quibusdam interrogationibus, ac responsionibus, iisque in scripturam redactis, adeoque lite plenissimè contestatâ, coram Pontifice, is jussit, ab ipsis procuratoribus juramentum calumniæ utrinque præstari. Est autem hic sermo non de procuratoribus specialiter constitutis ad illam causam, sed generaliter ad omnes causas; adeoque de Syndicis Universitatis: quod exinde patet; quia illi, partibus principalibus absentibus, in propriam animam de calumnia jurarunt, cum procurator specialis debeat jurare in animam constituentis; ut ex infra dicendis patebit. Neque refert, quod procuratores, & non Syndici appellantur in hoc c. quia satis est, quod constet ex mandato, illis generalem, & liberam in Judicio agendi, & respondendi potestatem esse datam, *juxta c. Petitio; 9. de procurat.* Cum igitur isti habeant generalem, & legitimam administrationem omnium causarum Universitatis, præsupponuntur scire qualitatem illarum, an justa sint, necne: adeoque admittuntur etiam à jure ad præstandum juramentum calumniæ, absque alio speciali mandato, *Vivian. in rat. Jur. Pontif. hic.*

XX. Assertio 3. Etiam procurator particularis admitti debet ad præstandum juramentum calumniæ in animam domini, si speciale mandatatum habeat ad jurandum de calumnia; prout habetur in *c. Nullam; 3. & ult. h. t. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. rescribit, nullam injuriam Judex fecisse censetur parti litiganti, quia procuratorem adversarij ipsius ad causam constitutum,

& habentem speciale ad hoc mandatatum admisit ad præstandum in ea juramentum calumniæ. Ratio autem, cur procurator non possit jurare in animam domini, sine speciali mandato, est, quia non potest per juramentum nomine domini, & in animam ipsius præstitum asserere, verum esse aliquid, nisi specialiter id in mandatatum habeat à domino; alioquin juretur erit, an dominus, id verum esse, sciat, & sub juramento interrogatus, id verum esse, assereret: adeoque periculo perjurii se exponeret, *Covarr. in c. Quamvis; p. 1. relec. §. 5. num. 7. & 8.*

XXI. Requiritur autem, ut talis procurator duplex juramentum calumniæ edat, unum in animam domini, ex eius mandato; alterum in animam propriam, & nomine suo: quia procurator non debet causam suscipere, si est injusta; ideoque ipse quoque nomine suo de calumnia jurare debet; idque speciale est ad evitandas fraudes, cum aliis in juramentis aliis sufficiat, si procurator juret in animam domini, ex speciali eius mandato; sicut tradit *Gl. in c. 2. V. Ab ipsis; h. t. in 6. Franc. ibid. n. 2. & 5.*

Excipitur primò. Nisi sit Syndicus, seu actor generalis, non à privato, sed ab Universitate constitutus; tum enim sufficit, si juret de calumnia in animam suam, scilicet jurantis, etsi non juret in animam constituentis, ut supra dictum.

Excipitur secundò. Nisi procurator parti datus sit ex officio Judicis; tum enim ad juramentum calumniæ præstandum in animam propriam compelli non potest, *Arg. reg. jur. 24. in 6.* Quod quis mandato Judicis facit, dolo facere non videtur, cum parere necesse habeat: adeoque non videtur calumniari, qui mandato Judicis obtemperat, *Gail. l. 1. obs. 88. num. 4.* ubi tamen *num. 8. & 9.* id limitat, quod procurator ex officio Judicis datus non possit cogi ad præstandum juramentum calumniæ, quatenus hoc refertur ad merita, sive justitiam, vel injustitiam causæ: secus est de aliis, quæ ad processum judicium tantum pertinent: nam quoad illa procurator jurare debet, videlicet, quod causam per calumniam extrahere, sive indebitè differre nolit, petendo superfluas, & calumniosas dilationes.

XXII. Porò quamvis partes principales litigantes de calumnia juraverint: nihilominus tamen procuratores postea ab ipsis partibus principalibus constituti (vel à procuratoribus, qui post litem contestatam alium substituere possunt, *cap. 1. de procurat. in 6.*) juramentum calumniæ præstare tenentur, etiam si à suis dominis in causa instructi venerint, quid ponere, respondere, vel agere debeant, prout statuitur in *c. 2. §. Procuratores; h. t. in 6.* Ratio est, quia & ipse procurator calumniari potest, si sciens, causam esse injustam, aut non credens, esse justam, defendendam suscipiat: unde licet juramentum calumniæ præstitum sit ab ipso principali, non tamen est provisum de calumnia evitanda per ipsius procuratorem, cum juramentum sit vinculum personale, nec de persona à persona transeat: & fieri potuit, ut principalis haberet bonam fidem; procurator vero malam habeat: adeoque licet principalis

## S. III.

## In quibus causis, quando, &amp; quomodo praestandum sit Juramentum calumniae?

palis juraverit de veritate dicenda, & calumnia evitanda; si tamen postea constituat procuratorem, & ipse suo nomine, sive in propria animam hoc juramentum praestare debet, l. 2. in princ. C. h. t. Gl. in c. 2. V. Ab ipsis; h. t. in 6. Franc. ibid. n. 2. Gl. in Auth. Principales; V. Migraverit; C. eod. Ob quam causam etiam ab heredibus litigantium de novo praestandum est juramentum calumniae, licet a defuncto praestitum sit; ut dictum supra n. 9. Quamvis autem ad jurandum, nomine domini, & in personam, sive animam ipsius, requiratur speciale mandatum domini in procuratore: non tamen ad juramentum praestandum per procuratorem suo nomine, seu in suam animam, Franc. in cit. c. 2. n. 5. in fine. Neque etiam, quando dominus juravit de calumnia, necessario requiritur, ut procuratori detur speciale mandatum ad jurandum in animam domini, Gl. in cit. c. 2. V. ab ipsis, & ibid. Visum. in Ration.

Similiter etiam procurator fisci, spectato Iure communi, praestare cogitur juramentum calumniae: quia id nominatim fisco remissum esse, nusquam reperitur: fiscus autem tantum privilegiatus est in casibus iure expressis; in non expressis autem Iuris communis dispositioni subiacet: quamvis aliud observetur de consuetudine; quia & personae qualitas, & officij necessitas praesumptionem calumniae in procuratore fisci Imperialis excludit; ut tradit Gail. lib. 1. obs. 90.

XXIII. Praedictis addendum primo. Non solum procuratores, sed etiam patroni causarum, seu Advocati, ex iuris dispositione, de calumnia jurare tenentur, cit. l. 2. in princ. C. h. t. l. Rem non novam; 14. §. Patroni; C. de judicijs, quia melius videtur calumniae, quam partes litigantes; quamvis id hodie de consuetudine non observetur, teste Abbas. in c. 1. n. 5. h. t. videlicet ne forsitan occulto praebeatur perjurijs, eò quod advocati precibus, aut pecunijs inducti, frequenter causas, quas iniustas esse sciunt, vel saltem non existimant esse iustas, aut probabiles, defendendas suscipiunt: quia in re gratè peccant, etiam contra iustitiam, illud tamen adie etiamnum obtinet in peritque Curijs, ut advocati; cum ad munus postulandi admittuntur, juramentum generale, & ad omnes causas praestent; ut refert Wesenb. in parat. C. h. t. n. 6. sicut etiam hodie Iudex, non in singulas causas, prout olim, jurare de calumnia cogitur, cit. l. Rem non novam; in princ. sed sufficit eum initio officij jurare, Auth. Hodie; C. de judic.

XXIV. Addendum secundò. Parentibus, & patronis, si in causis permixtis litigent in iudicio cum liberis, vel libertis, remittitur hoc juramentum calumniae, l. Si patronus; 16. ff. de iurejur. l. Licet; 7. §. Nec defunctus; ff. de obseq. parent. & patr. prest. Gl. in cit. l. 2. V. Movisse; C. h. t. idque ob reverentiam his personis debitam: quia sanctior, & honestior debet esse persona patris, & patroni liberis, & libertis, quam ut suspicari debeant, quidquam illos calumniandi animo attentaturos, cit. l. Licet; 8. Nec non. Sed nec dominus feudi cum vasallo litigans, nec vicissim vasallus dominum conveniens juramentum calumniae praestare cogitur; ut habetur in Tit. 33. §. In quibus etiam causis & c. lib. 2. feudor.

XXV. Assertio 1. In omnibus causis, in quibus probatio est necessaria, praestandum est juramentum calumniae, sive sint civiles, sive criminales, l. 1. junctà Gl. V. Quidquam; Vers. Sed certè; C. de iurejur. propt. calum. praestand. Gl. in c. 1. V. Criminaliter; h. t. (quia licet sit differentia inter causas civiles, & criminales, non tamen quoad processum, seu ordinem judicium causa criminalis omnino aliter tractatur, quam civilis, Abb. in cit. c. 1. n. 12. h. t.) sive sint ordinariae, sive delegatae, sive compromissariae, quae coram arbitris tractantur, l. 2. §. Sed quia; C. h. t. sive parvae, sive magnae, Wesenb. in parat. C. eod. n. 7. Olim tamen in causis spiritualibus, spectato Iure Canonico, juramentum calumniae nec deferri, nec recipi solebat, ut constat ex c. Litteras; 2. h. t. ubi Papa Honorius II. respondit; Romana Ecclesia in casibus, in quibus de Ecclesijs, aut beneficijs, decimis, & alijs rebus spiritualibus (vel eis annexis, ut est causa juris patronatus, Gl. hic V. Rebus spiritualibus; & Hostiens. V. eod.) tantum agitur, juramentum calumniae nec dare, nec deferre, nec recipere consuevit: quia tales causae, non secundum legum rigorem, sed ex aequitate Canonica tractari, & definiti debent: Canones autem in huiusmodi causis juramentum calumniae nemini indicunt. Vnde ommissa contentione de juramento calumniae praestando orta inter partes, Iudices ad alia in causa procedant. Juramentum tamen de veritate dicenda, etiam in causis spiritualibus, seu Ecclesiasticis, praestari debet, iuxta c. Dudum; 54. §. Verum; ibi praestito quoque juramento de veritate dicenda, de elect. Ratio autem, cur in his causis juramentum calumniae olim non fuit indictum, vel receptum, erat; tum quia in spiritualibus praesumebatur, quòd semper Deus haberetur praesentibus, & in memoria, & sic non calumniarentur litigantes, Gl. in c. 1. §. Quamvis; V. Juramentum; h. t. in 6. tum quia causae spirituales, cum sint proprie Ecclesiasticae, non secundum rigorem, & solemnitates legum civilium, sed, quantum fieri potest, simpliciter sunt tractandae: juramentum autem calumniae multa capitula continet, ad quae est respondendum, quòd illa credat esse vera, & quòd actor putet, se instanti causam habere, reus autem, se iuste resistere, & sic facile praebetur occasio peccandi: at juramentum de veritate dicenda longè simplicius est, & pauciora complectitur, in quo solum iuratur, quòd quis verum dicere velit, & ideo facilius per hoc juramentum responderetur, Innoc. hic n. 1. Tum denique, quia non decet, ut Clerici, praesertim in rebus spiritualibus, juramenta multiplicent: quia in personis Deo sacras non debet habere locum ulla suspicio fraudis: ideòque simplici eorum assertioni fides est adhibenda. Quare, cum in antiquis Canonibus nihil reperitur statutum de juramento in spiritualibus rebus

rebus præstando, & dispositio legis civilis non fuerit moribus, seu usu recepta, ideo illa non est necessario servanda, *Abb. in cit. c. 2. num. ult. h. t.*

XXVI. Verum hoc posterioribus temporibus est mutatum; ut constat ex c. 1. §. *Quamvis; h. t. in 6.* ubi habetur, quod, quamvis antiqui Canonnes, in causis spiritualibus, in quibus oportet jurare de veritate dicenda, nulli indicant juramentum calumniæ: quia tamen postea adversum fuit, etiam in his causis frequenter à litigantibus calumnia irrogari, ideo statutum fuit (quod eo jam tempore plerique observabant) ut in dictis causis, tam de veritate dicenda, quam de calumnia juramentum præsteretur, ut via calumnia præcludatur. Quæ ratio, quia locum habet in actore, & reo; ideo ab utroque præstandum est utrumque hoc juramentum, *Franc. hic num. 2.* videlicet ut jurent partes, non solum, quod vera dicere velint; sed etiam, quod credant, se causam justam, seu probabilem habere, & non alias probationes, vel exceptiones afferre velint, quam, quas justas esse existimant.

XXVII. Præterea quamvis in causa principali, & prima instantia, de calumnia, aut veritate dicenda juratum fuerit; nihilominus tamen in secunda instantia, seu causa appellationis, utrumque juramentum edi, & reperi debet; prout statutum habetur in c. *In appellationis; 2. in princ. h. t. in 6.* Ratio est, quia, licet aliàs juramentum calumniæ non nisi semel præstandum sit in eadem causa, nec sæpius iterandum, *Auth. Hoc Sacramentum; C. h. t. id tamen intelligendum est in eadem instantia, Gl. in l. 2. V. Novisse; C. h. t. appellationis autem instantia diversa est à prima instantia causæ principalis: est enim in causa appellationis alius Judex, aliudve tribunal, & novæ in illa probationes afferri, & defensiones, seu exceptiones proponi possunt, ideoque etiam nova libelli oblatio, & litis contestatio fieri debet, Anchar. hic in princ. & Franc. not. 1. hinc est, quod procurator causæ principalis non cogitur sequi causam appellationis, c. *pen. de procurat.* Porro in causis inquisitionum, vel quando imploratur officium Judicis, non juratur de calumnia, *Hiltrop. in process. judic. p. 2. tit. 2. §. In quibus causis.**

XXVIII. Assertio 2. Juramentum calumniæ (idem est de juramento veritatis) in principio litis præstandum est, videlicet statim post litis contestationem, antequam positiones ab actore offerantur, *Auth. Hoc Sacramentum, & l. 2. in princ. ibi: post narrationem, & responsum, id est, litem contestatam, Gl. marg. ibid. C. h. t. c. pen. in fine, extra. eod.* Ratio est, quia hoc juramentum ad totam causam, seu causam pertinet, causa verò propriè, non nisi post litis contestationem, in Judicium deducta esse censetur, *Gail. l. 1. obs. 85. num. 1.* non tamen ideo processus Judicii erit vitiosus, etsi juramentum calumniæ non statim post litis contestationem fuerit præstitum; ut decernitur in c. 1. in princ. *h. t. in 6.* ubi habetur: Si de calumnia, vel de veritate dicenda in exordio litis (id est, statim post litem contestatam) non juretur, ut debet, poterit postea in quavis litis parte jurari, quia ordo iste, ut juramentum ab initio præsteretur, non est de substantia Judicarii processus. Et quidem

pars litigans juramentum ab initio non præstitum potest exigere potest, donec in causa conclusum sit. Post conclusionem verò in causa, nihil petere, vel negare potest, quod vel ad jus, vel ad factum pertinet; ut tradunt DD. in c. *Cum dilectus; 9. de fide instrum.* Judex verò ex officio, etiam post conclusionem in causa, si ita necesse videatur, antequam sententiam ferat, exigere potest juramentum calumniæ, ut post *Jo. Andr. in c. 1. num. 2. h. t. in 6.* docet *Franc. ibid. n. 1. Gail. l. 1. obs. 84. num. 6. Arg. c. Cum Joannes; 10. de fide instrum.* Sed & ante litis contestationem interdum potest exigi juramentum calumniæ, videlicet, si reus exceptionem dilatoriam opponat; tum enim ab eo peti potest, ut juret, sed non subterfugendi Judicii causâ excipiat, qui putans, se justam causam habere, *Marant. c. l. num. 5. Gail. cit. obs. 85. num. 1.* Differt autem in eo juramentum, quod ante litis contestationem præstat ab eo, quod post illam, nam illud in specie fit super una v. g. exceptione, quæ ante litem contestatam probanda est: hoc autem fit in genere super tota causa, seu controversia. Sed & juramentum calumniæ, etiam post litem contestatam, editum, duplex est: unum generale, quod super tota causa præstat: alterum speciale, quod in qualibet parte Judicii super certo actu, exigente adversario, præstat, usque ad conclusionem in causa, imò etiam postquam in causa conclusum est, ex officio Judicis, *Bart. in cit. l. 2. num. 17. h. t. Hiltrop. c. l. num. 4.*

Similiter sicut juramentum calumniæ, ita etiam juramentum de veritate dicenda, si in principio litis exactum, & præstitum non fuit; postea in progressu in qualibet parte litis exigi potest, & præstari debet, *cit. c. 1. in princ. h. t. in 6.* de quo plura infra tit. 24. Utile autem est juramento veritatis, quod fit per verbum, *Scio*, adicere juramentum credulitatis, sive de calumnia, quod fit per verbum, *Credo*, *Anchar. in cit. c. 1. in fine, & Franc. ibid. n. 5.*

XXIX. Porro juramentum malitiæ, in omnibus causis, tam ante, quam post litem contestatam, sive juramentum de veritate, aut de calumnia sit præstitum, sive non, Judex à partibus exigere potest, non semel tantum, sed quoties Judici in progressu litis videbitur; prout habetur in c. 2. §. *In omnibus; h. t. in 6.* nempe, si suspicio sit, quod actor, vel reus malitiosè aliquid proponat, vel excipiat, vel dilationem aliquam petat: tum enim Judex exigere ab eo potest, ut juret de malitia, id est, quod id non faciat malitiosè, sed existimans, justam se habere causam, *Gl. fin. ibid.* Ratio est, quod cautio specialis magis timetur, quam generalis, est, etsi generatim juratum sit, magis tamen timet speciale juramentum super articulo particulari: est autem juramentum de malitia species contenta sub generali juramento de calumnia, *Anchar. in cit. c. 2. not. 3. h. t. in 6.*

XXX. Assertio 3. Ad formam juramenti de calumnia quod attinet, illud præstandum est, tantis SS. Scripturis, seu Evangeliiis, *l. 1. & 2. in princ. C. h. t. hodie tamen sufficit, apud acta jurari, Auth. Principales; ibi: sub gestis monumentorum, C. eod. coram Judice, cit. l. 2. in princ. & Auth. Principales; vel, si qui litigantium ad Judicem venire nequeant.*

ant, coram officialibus ad hoc à Judice deputatis, cit. *Auth. Principales*; præsertim ad verlariorum, vel eius procuratore, *Auth. Jam cit. §. l. 2. §. Sin autem*; vel saltem citato, *cit. l. 2. §. Sin autem absuerit; junctà Gl. V. Absente*: excepta muliere honestæ vitæ, quæ absente ad verlariorum, jurare debet, coram Officialibus, ob verendum sexus, *cit. Auth. Principales*. Plura de hoc videri possunt apud *Durand. in spec. h. t. §. 4. & VVe-* *senb. c. l. n. 8.*

## §. IV.

## De pœna recusantis præstare Juramentum calumniæ, &amp; huius effectus.

XXXI. Queritur primò. Quæ sit pœna non lentis jurare de calumnia? Resp. Si alter litigantium recuset juramentum calumniæ, cum præstandum est, pœna hæc est, ut, si actor sit, ab instituta actione cadat: si verò reus, pro confessio habeatur; prout deciditur in *c. ult. §. Pœna verò; h. t. & in c. Imperatorum; 4. & ibi Gl. V. Decidant; eod. & cit. Auth. Principales; §. l. 2. §. Quod si actor. C. cod.* Hæc autem pœna, tam ex parte actoris, quam Rei, non incurritur ipso jure, sed opus est sententiæ Judicis, per quam reus, actore recusante, absolvatur ab instituta actione; vel, si reus jurare nolit, tanquam confessio actori condemnatur, juxta libelli petitionem, & ad præstandum id, super quo lis contestata est; prout constat ex *cit. Auth. Principales*; ubi dicitur: Si quis litigantium prædictum jusjurandum præstare noluerit, per sententiam Judicis, actor calum actionis, reus condemnationem sustineat, *Gl. in cit. l. 2. §. Quod si actor; V. Cadat.* nam Judex procedit contra actorem, absolvendo reum, ac si nihil probasset, vel contra reum, ac si petita essent probata, *Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. Gail. l. 1. obs. 86. n. 1.*

Neque verò excusatur actor recusans subire hoc juramentum ex eo, quod nemo inivitus agere compellitur; ac proinde, sicut non potest cogi ad agendum, ita nec ad prosequendam litem, sed ab ea impone recedere potest; imò etiam liti cœpta renunciare, etsi invito adversario, *l. Postquam liti; 4. C. de pœn.* Nam aliud est, litem liberè inchoare, quod cuique liberum est: aliud est litem cœptam prosequi, vel non, quod non est concessum, *Auth. Qui semel; C. Quomodo, & quando Index.* Et quamvis actor renunciare possit toti causæ, & juri in Judicium deducendo, *cit. l. Postquam*: non tamen potest à lite cœpta desistere, reservato sibi jure agendi in posterum: sic enim renunciaret tantum instantiæ, non causæ, *Hil-* *top. c. l. §. ult. n. 6. & 7.*

XXXII. Porrò ex hoc, quod ad incurrendam hanc pœnam requiritur sententia Judicis, sequitur primò, quod actor, vel reus, recusans subire juramentum calumniæ, si se postea offerat ad illud præstandum, ante huiusmodi sententiam, seu declarationem incursum pœnæ, seu absolutariam, aut condemnationem super questione principali à Judice latam, possit moram, & contumaciam purgare, & pœnam hanc evitare, *Arg. l. Etsi; 8. ff. Si quis cautionibus & c. quia in pœnis legalibus, mora purgari potest.*

test ante sententiam, *Arg. l. Qui cum maior; 14. §. Accusasse, & l. In servitute; 16. §. Perisse; ff. de bonis liber. Gail. c. l. n. 3. & 4.*

Sequitur secundò. Si actor, vel reus, qui jurare de calumnia recusavit, ante Judicis sententiam declarationem, vel condemnationem ad pœnam, moriatur, quod pœna illa tanquam nondum commissæ (cum non incurritur ipso jure) ad heredem eius non transeat; sed is præstato prius juramento calumniæ, causam prosequi non prohibeatur; ut docet *Gail. c. l. n. 7.* quia pœna legalis, ob contumaciam defuncti decreta, ad heredes non transit, *l. Eius, qui; 29. in princ. ff. de jure fisci*: quamvis aliàs regulariter pœna ipso jure imposita ad heredes transeat, ut probat *Gail. c. l.*

XXXIII. An autem pœna recusantis subire juramentum calumniæ etiam locum habeat in recusante jurare de malitia, dubitari potest? Ad quod respondetur, quamvis in *c. 2. §. ult. h. t. in 6.* fiat mentio de juramento malitiæ, nulla tamen ibi pœna exprimitur: ideòque pœna, quæ expressa est in juramento calumniæ, ad juramentum malitiæ extendi nequit, cum pœnæ sint restringendæ, juxta *Reg. jur. 49. in 6.* Quare aliqui putant, quod pœna non jurantis de malitia sit arbitraria, cum lege, sive jure determinata non sit. Alij verò existimant, si actor, & reus per Judicis sententiam jussum de malitia jurare, contumaciter renuat, tum in pœnam, articuli actoris, vel exceptiones Rei admitti non debeant; cum sit præsumptio contra ipsum, imò quandoque pro confessio habendus sit, *Arg. c. ult. de confess. in 6. & l. Sancimus; 15. C. de judic. ubi dicitur, contumacem non esse audiendum, nisi refusis expensis, Gail. l. 1. obs. 87. n. 1. & 2. & alij apud ipsum.*

XXXIV. Queritur secundò. An contumacia procuratoris, vel alterius administratoris recusantis jurare de calumnia, noceat domino, ita, ut supra dicta pœna juris locum adversus eum habeat?

Resp. Si Ecclesiæ, vel Universitatis Syndicus, tutor, Prælati, aut alius administrator recuset præstare juramentum calumniæ, id non nocet Ecclesiæ, Universitati, pupillo, vel alteri, cuius causa agitur, ita, ut causâ cadere, vel pro confessio haberi debeat, *Durand. in spec. c. l. §. ult. num. 4.* ubi id tradit de tutore, quod non nocet pupillo, *Abb. in c. ult. num. 21. h. t.* Idemque est de procuratore, qui si post litem contestationem, recusat jurare de calumnia in propriam animam, non debet in præjudicium domini pro confessio haberi: quia contumacia procuratoris, in his, quæ sunt magni præjudicii, non nocet domino, quamvis à Judice puniri debeat pœnâ pecuniariâ, *Gail. l. 1. obs. 89. n. 4. & 5.* Idque probatur ex *l. unic. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* ubi dicitur: Si procurator tuus, vel curator jus dicenti non obtemporavit, ipse punitur, non dominus, vel pupillus. Ratio est, quia supra dicta pœna supponit, & requirit delictum; at verò delictum procuratoris, vel administratoris non debet redundare in detrimentum domini, seu principalis; quia is non censetur mandasse delictum, *Abb. in cit. c. ult. num. 21.* Non obstat *c. Imperatorum; 4. h. t.* quia ibi sermo est, quando tam Prælati, quam Conventus, contumaciter recusat præstare juramentum in Judicio, vel constitucere Syndicum aptum ad jurandum, eum de jure debe-

deberent: nam ob talem contumaciam, seu culpabilem omissionem, aut cunctationem, sicut ob alia delicta totius Corporis, seu Collegij, merito punitur ipsa Ecclesia, eaque ipsi nocet, *Abb. c. l.*

Neque etiam obstat, quod confessio expressa administratoris, vel tutoris, v.g. noceat pupillo; ut docet *Bart. in l. 2. §. Quod observari; num. 6. C. h. t.* ergo etiam confessio tacita, seu jure praesumpta. Negatur conseq. quia in proposito recusans jurare, tacite, seu juris fictione, habetur pro confessio, in poenam delicti; delictum autem personae non debet in detrimentum Ecclesiae (vel alterius universitatis, aut pupilli) redundare, *juxta Reg. jur. 76. in 6. Abb. c. l.* Unde, cum dicitur, quod expressi, & taciti eadem sit vis, id limitandum est, ut non procedat, si confen-

sus tacitus non oriatur ex natura rei, seu actus, sed juris fictione, seu praesumptione sit introductus in poenam delicti.

XXV. Queritur tertio. Quis sit effectus juramenti de calumnia? Resp. Juramentum hoc praestitum id operatur, ut jurans excusetur ab omni calumniandi suspicione, sive à tacita, seu praesumpta calumnia: non autem ab evidente, & expressa: & ideo committens calumniam, in processu causae, sive criminalis, sive civilis tantum, non obstante juramento calumniae, quod praestitit, finita causâ, tanquam calumniator criminaliter accusari potest, & puniri, *Marant. de ord. jud. p. 6. de juram. calumn. n. 12.*

*¶ 13. VVesemb. cit. l. num. 11.*

## T I T V L V S V I I I.

# DE DILATIONIBUS.

Dilationes quaedam ante litis contestationem dantur, quaedam verò post illam: nam lite contestatâ, ac Juramento calumniae utrinque praestito, solent litigantes petere inducias, & dilationes ad probandum, & excipiendum: & sic habitâ ratione harum dilationum, quae post litis contestationem conceduntur, subiungitur hic Titulus praecedentibus, conformiter ordini, qui observatur à Justiniano in Codice; quamvis in Decretalibus, & Capitulis huius Tituli solùm agatur de Dilationibus, quae dantur ante litis contestationem; cum tamen Rubrica sit generalis de Dilationibus in genere, sub qua comprehenduntur tam illae, quae ante, quam quae post litem contestatam conceduntur: adeoque Rubrum est generalius nigro, id est, Rubrica Tituli contentis in illo; ut notat *Gl. & Abbas ad Rubric. h. t.* Extat idem Titulus in Extravag. communibus.

### I.

**D**Ro explicatione Rubricae huius Tit. Notandum primò. Dilatio in genere, prout etiam extrajudicalem complectitur, nihil aliud est, quam indultum, seu concessio temporis, intra quod aliquid agi potest. Dilatio verò judicialis, de qua hic agitur, est assignatio certi diei, seu termini, intra quem actus judicialis peragendus est, iusto temporis intervallo facta; seu iustum temporis intervallum, quod ad actum aliquem judicialem commodius perficiendum auctori, vel reo conceditur; prout definitur apud *VVesemb. in paratit. ff. De Feris, & Dilat. n. 9. & C. eod. n. 1.*

II. Notandum secundò. Dilationum aliae sunt legales, quae à lege (vel etiam statuto, aut consuetudine, vel stylo Curiae) conceduntur, v.g. ad appellandum intra decem dies, *c. Quod ad consultationem; 15. de sent. & re judic.* vel ad petendam restitutionem in integrum: Aliae conventionales, quae ex partium conventionem, seu consensu dantur, v.g. ad solvendum debitum intra annum, *l. Cedere; 113. ff. de V. S.* Aliae denique judiciales, quae à Judice in Ju-

dicio dantur, eaque ordinatè arbitrariae sunt, seu Judicis arbitrio determinanda relinquuntur, qui spectatâ tum distantia loci, tum causae, & personarum qualitate, longiorem, vel breviorém dilationem concedere potest; ut docet *Marant. de ord. judic. p. 6. in 2. judicii part. Actus; 3. n. 15.* Imò etiam dilationem legalem, seu certâ dilationum tempora, quae à jure definita sunt, Judex ex causa abbreviare, vel prorogare, seu extendere potest; ut notat *Gl. in c. 1. V. Peremptorium; h. t. Marant. c. l. n. 16. de quo infra.* Debent autem dilationes dari à Judice pro tribunali sedente, causâ cognitâ, & utraque parte praesente, *l. Procedente; 4. C. h. t. Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de Dilationib. §. 3. n. 1.*

III. Notandum tertio. Sicut tres sunt Judicii partes, prima à citatione usque ad litis contestationem inclusivè: secunda à litis contestatione usque ad sententiam definitivam exclusivè: tertia à sententia usque ad eius executionem inclusivè: ita dilationum judicialium tres sunt praecipuae species. Nam aliae in prima Judicii parte, seu exordio litis competunt, & dantur, ratione justii impedimenti, ob quod comparere